Jahresbericht

über das

Gymnasium zu Sorau

von Ostern 1856 bis Ostern 1857,

mit welchem

zu der am 2. und 3. April

stattfindenden

öffentlichen Prüfung und Redeübung aller Klassen

im Namen des Lehrer-Collegiums

ergebenst einladet

Dr. H. Liebaldt,

Gymn. Direct.

Inhalt: 1. **De Minerva, qualem Homerus finxerit, disseritur.** Scripsit *Paschke.*
2. Jahresbericht.

Sorau, 1857.

Druck von J. D. Rauert's Buchdruckerei.

De Minerva, qualem Homerus finxerit, disseritur.

Quum dei ope et auxilio multo magis quam hominum ratione et consilio res humanas gubernari ipsi veteres senserint, tum vero sapientissimus quisque illorum recte iudicavit, quidquid honesti et veri ingenium humanum assiduo studio et labore assecutum sit, id omne ad deum auctorem esse referendum. Aetas recentior, ut in divinis humanisque rebus cognoscendis multum profecit, ita societatem generis humani sola pietate erga deum contineri sibi persuasit. Acute igitur princeps ille ingenii Goethe in eo libro, qui Divan*) inscriptus est: „das eigentliche, einzige und tiefste Thema der Welt- und Menschengeschichte, dem alle übrigen untergeordnet sind, bleibt der Conflict des Unglaubens und Glaubens. Alle Epochen, in welchen der Glaube herrscht, unter welcher Gestalt er auch wolle, sind glänzend, herzerhebend und fruchtbar für Mitwelt und Nachwelt. Alle Epochen dagegen, in welchen der Unglaube, in welcher Form es auch sei, einen kümmerlichen Sieg behauptet, und wenn sie auch einen Augenblick mit einem Scheinglanze prahlen sollten, verschwinden vor der Nachwelt.“ Ut autem ille bene vidit ad rerum populorumque memoriam penitus cognoscendam dei cognitione quod plus valeat nihil posse cogitari: ita qui nunc in antiquis litteris versantur tractandis, tanto plus se profecisse credunt, quanto diligentius veterum non modo de humanis, sed etiam de divinis rebus opiniones perspexerint. Neque vero in praestantissimis poetarum Graecorum carminibus explicandis quisquam hodie cum laude versabitur, qui non idem ad illorum de diis opiniones quasi ad sincerum omnis doctrinae et sapientiae fontem descenderit. Graecis enim quum hoc divinitus datum esset negotium, ut omnes liberalioris eruditionis partes summo ingenii acumine et singulari diligentia persequerentur, tum etiam priscas deorum notiones primi veterum ad certas leges revocare et idoneis artis formis exprimere studuerunt. In qua re tametsi a rudibus profecti sunt initiis, tamen eximia ingeniorum felicitate adiuti procedente tempore tantos progressus fecerunt, ut in Homeri carminibus Graecorum dii tales,

*) Cfr. Tom IV., Pag. 264.

quales communi universi populi consensu crediti sint, appareant. Inanis autem superstitio et varia fabularum commenta fluxerunt illa quidem initio ex coeli et locorum, quibus orta sunt, natura; crescente vero rerum causarumque cognoscendarum studio ad vitae publicae rationes et usus accommodata sunt.

Graecorum autem deorum cultum quamvis varium fuisse ipse Homerus his verbis significet: Ἄλλος δ᾽ἄλλῳ ἔρεζε θεῶν αἰειγενετάων (Il. II., 400.), tamen omnes illae opiniones ex prisca illa et vera unius dei opinione manasse putandae sunt. Ita enim fert natura hominis, ut quum primum aliquam animo concipiat numinis divini suspicionem, quemadmodum ipse unus est, ita illud non multiplici specie divisum, sed unum esse et integrum sibi persuadeat. [1]) Quum autem homines sentirent se non solum corpore, sed etiam mente et animo valere, probabile est, illos iam antiquissimis temporibus ad eam adductos esse sententiam, ut triplicem quandam vim in eodem numine divino vigere crederent. Posteriore demum tempore, auctis populorum commerciis, factum est, ut adscita peregrina superstitione, prisca illa dei cognitio obscuraretur. Quod autem Graeci et multos deos finxerunt, et variis illos modis colendos censuerunt, id ex locorum civitatumque Graecarum natura repetendum est. [2]) Gens enim Graecorum quum multis constaret populis, qui locis, moribus, rebus publicis admodum essent diversi, fieri non potuit, quin multiplex in Graecia eorundem deorum cultus oriretur, praesertim quum plures nationes vitae institutis inter se coniunctae ad rerum civilium similitudinem quandam maiorum et minorum deorum civitatem constituerent.

Quoniam autem ex illis de diis fabulis praestantissimus quisque Graecorum non modo poetarum sed etiam artificum maxime hausit, qui humanitatis graecae cognitionem non primoribus labris degustare, sed penitus imbibere volent, ii non subita quadam illarum cognoscendarum cupiditate, sed assiduo earum perspiciendarum studio incendentur. Quidquid enim Graeci de deo divinisque rebus recte iudicaverunt et ad communis vitae usus traduxerunt, id omne fabulis illis absconditum poetarum carminibus artificumque operibus expressum est. Imprimis poetae subtilissima sapientiae praecepta illis fabulis pronuntiaverunt. Qui etsi omnes et epici et lyrici et scenici alii alio tempore populi de diis notiones carminibus suis reddiderunt, tamen iidem deos, quales Homerus finxit, paucis mutatis retinuerunt. Itaque haud inutilis videtur opera eorum, qui aliquem e numero deorum, qualis apud Homerum apparet, omni ratione diligenter explicata illustrandum sibi proposuerunt. Perfecta quidem et omnibus numeris absoluta singulorum deorum species tum demum elucebit, si quis varias universi populi de illis opiniones diligenter inter se comparaverit. Illud vero Homerica ratione penitus explorata efficietur, ut quam ille de diis notionemconceperit, deinde quid ipse ad populi opiniones de illis conformandas contulerit, denique quomodo suos deos e consilio poetico variaverit intelligatur.

---

[1]) Cfr. Eckermann in: „Melampus und sein Geschlecht.“ Gött. 1840. Pag. 25. coll. E. R. Lange: Einl. i. d. Stud. d. griech. Mythol. 1825. p. 30. sqq.

[2]) Cfr. Mueller Prolegg. pag. 226. et 331. Bernhardy gr. Lit. pag. 160.

Auctor huius scripti et temporis et loci ad scribendum dati angustiis inclusus non hoc sibi sumit, ut rem, quam tractandam sibi proposuit, plenam et integram se explanasse credat, sperat tamen se aliquam obscurae et difficili quaestioni lucem attulisse.

Παλλας Ἀθήνη, qualem Homerus finxit, hominum doctorum studia ita semper advertit, ut subtilissimae de ea quaestiones institutae sint. Quarum etsi ea est ratio, ut recentior aetas multa rectius et verius quam prisca tempora viderit, tamen haud pauca supersunt aut idoneis argumentis confirmanda aut illustranda plenius. C. O. Mueller quidem[1]) Pallade mentis humanae prudentiam ad vitae usus spectantem censet significari; naturam autem illius deae qui diligentius examinaverit, is intelliget, tot tamque varias ab Homero Minervae tribui virtutes, ut in ea summa ingenii humani vis eluxisse videatur.

Est autem hoc primum Minervae proprium, ut ex ipsius Iovis capite sine matre nata sit (*ἀμήτωρ, ὀβριμοπάτρη*), qua re singulare quoddam illi deae virginitatis et maiestatis decus additur[2]). Quam quum Iupiter ex claro aetheris luce procreaverit, poterit physica, quae dicitur, ratio ita explicari, ut Minerva lucem et aera, aquam et calorem, omnes denique res, quibus vita efficitur et sustentatur, credas significari. Ut autem varia illa naturae vi vita non modo conservatur, sed etiam extinguitur, ita iam apud Homerum *Ἀθήνη* aegide atque fulmine non minus quam pater praedita est[3]). Poeta quidem quoniam non quaestiones naturales instituit, sed res a diis hominibusque gestas depinxit, physica illa, quam diximus, Minervae ratione neglecta, deam aut bella gerentem aut hominibus patrocinantem finxit. Utraque vis in antiquissima ratione ita coniuncta erat, ut Minerva esset ipsa Iovis divina mens, *Μῆτις* illa Iovis et coniux et filia, ab eodem novo partu quasi procreata[4]). Ita fit, ut apud Homerum non minus subtilissimo ingenii acumine et sapientia, quam viribus ad agendum maximis summaque sedulitate et industria excellat[5]). Itaque opera hominum in omni vel quaestus vel artis genere sublevat, viris res magnas et arduas molientibus opitulatur, animos eorum, qui cum adversa fortuna conflictantur, confirmat et auget, eos denique, quorum patrocinium suscepit, ex periculis omnibus et ipsius vitae discrimine eripit. Talis Minerva non solum ab Homero fingitur, sed etiam in antiquis Palladiis, in quibus fere armata assidet, vim aut hosti inferens, aut a se propulsans[6]), denique aliis artis perfectioris monumentis expressa conspicitur. Haec igitur quum in poetarum et artificum animis constans Minervae notio haereret, consentaneum est eandem ipso deae nomine esse indicatam.

---

[1]) In Encyclopaedia Erschii et Gruberi T. X. 112. §. 61. seq.

[2]) Cfr. Schiller in viragine Aurelianensi:

„Denn eine reine Jungfrau vollbringt jedwedes Herrliche auf Erden,
Wenn sie der ird'schen Liebe widersteht."

[3]) Vid. Iliad. V. 733—747. II. 447—452.

[4]) Hes. Theog. 886—890. Apollod. I., 3., 6.

[5]) Il. V., 61. Od. VI., 232.

[6]) C. O. Mueller in: „Archeol. d. Kunst." p. 568. No. 368.

Ἀθήνη sive *Ἀθηναίη* apud Homerum praecipuum esse deae nomen inde intelligitur, quod alterum nomen *Πάλλας* nunquam separatim positum, sed aliquot locis a Dammio in lexico allatis cum voce *Ἀθήνη* coniunctum reperitur. Quare improbanda videtur O. Muelleri sententia, qui hoc quidem nomen adiectivi vim obtinere censet, quo deam illam Atheniensem esse significetur [1]). Verisimilius est enim urbi nomen a dea esse inditum, cuius templum antiquissimis temporibus in arce Cecropia esset collocatum. Satis enim constat haud pauca locorum et urbium nomina a diis domesticis esse repetenda [2]).

Nihil autem lucis rei dubiae ii afferunt, qui singulari numero deam, plurali urbem censent significari, praesertim quum in medio relinquant, utra notatio prior sit. Qui si Athenas ideo plurali numero dictas esse putant, quoniam teste Plutarcho (cfr. Thes. c. 24.), Theseus undecim oppidorum populos in unum coegisse, unaque curia et magistratu Athenis constituto congregasse tradatur, inania et parum probabilia videntur commenti esse. Principalem vocis formam et quasi radicem in prima syllaba inesse, alteram formam — *ήνη* esse devivatam, ex comparatis substantivis *Ἀτθίς* et *Ἀττική* iure coniicitur; nibil tamen ea re ad vocem declarandam profici G. Muys nuper recte professus est [3]). Idem cum Pottio recte iudicavit, formam — *ηνός*, quam dicunt suffixam, et ad sola fere loca extra Graeciam sita pertinere, et accentum aversari. [4]) Quod autem ille suadet, ut ex deae natura originem et notationem nominis repetamus, id metum affert, ne quis suo ductus arbitrio symbolicam magis quam veram deae naturam respiciat. In eum errorem G. Muys incidisse videtur, quum censet, Minervam aeris deam esse vel aera significare, eamque inter Iovem et Neptunum, unde orta sit, quasi mediam esse et versari. Idem ille argumentatur quia aeris et animae et mentis cognatae sint notiones, fieri facile potuisse, ut vis illa naturalis ad animum transferretur. Ipsi latinae voci Minervae hanc flandi, spirandi, irruendi, subesse notionem (cfr. *μένος, μέμονα, μέμαα, μάω, μαιμάω* eorumque radicem sanscriticam mâ Benf. II., 34.). Semiticam si comparemus originem, Minervam quidem eandem videri esse atque Phoenicum Tanith; iniquum tamen esse deam Graecam ab exteris nationibus adscitam censere. Contra Benfeium (I., 78.), qui nomen Minervae a radice châd — *ἄνθος* ducit, eamque florentem deam interpretatur, Muys *Ἀθήνη* pro *Ἀ—θήνη* (coll. *Ἀ—θάμας*) positum existimat, quam formam a dhû = *θύω* ita repetit, ut Minerva sit aut conflans vel valde flans, aut (si *ἀ* = *ἀνά* est) sursum flans. Veruntamen etsi *θύω* et voces, quae ab eo fluxerunt, saepe de sacris vel de ventis usurpatae notionem

---

[1]) Apud Erschium et Gruberum Part. X., p. 76. seq. Cfr. Otfr. Mueller „Kleinere Schriften" II., 136. not. 15.

[2]) Cfr. C. F. Hermann „Lehrb. d. gottesdienstl. Alterthümer" d. Griechen." §. 15.
Panofka „v. d. Einfluss der Götter auf die Ortsnamen" in: „Abhd. d. Berl. Acad. pag. 333—382. Serv. ad Virg. Georg. I., 12.

[3]) Cfr. Griechenland u. d. Orient." p. 4. seq.

[4]) Cfr. Krüger. Gr. §. 41., 9. not. 6. Coll. §. 11. not. 21.

habent effervescendi et exardescendi, tamen haec derivata ubique vocales υ, ο, ου retinuerunt, nunquam in η abierunt; parum recte enim Passovius ϑέω, ϑοός, ϑορεῖν, ϑοῦρος, ϑόρνυμι, ἀϑύρω, αἰϑύσσω id genius alia composuit. Ita Pelasga quaedam dea aetherea ex Iove i. e. ex aethere lucido orta efficitur, qua ratione natura deae parum explicatur. Sic enim dea aetherea aquae prorsus expers est, quod fieri non licet, quum Minerva artissimo cum Neptuno cognationis vinculo contineatur. Cum hac sententia multiplex fama congruit: nam Minervam vel prope Tritonem, Boeotiae fluvium, natam veteres fabulae canebant, quo loco olim nescio quae Athenae aquis haustae essent, vel ad alios eiusdem nominis et in Arcadia[1]) et in Creta fluvios[2]); neque deerat fama Minervam in Libya ad Tritonidem paludem ex Neptuno et Tritonide nympha esse ortam[3]), tum antiquitus etiam in Boeotia ab incolis urbis Alalcomenarum colebatur[4]). Quod autem prisci Atticae incolae, quibus Minerva olivam et vitem dederat, illam quasi quandam fertilitatis deam venerabantur, inde iure colligimus in physica deae ratione expedienda primum locum aquam obtinere. Sunt etiam, qui in ipsa voce Τρίτων (unde Τριτωνίς, Τριτογένεια) notionem motus fluctuantis inesse censeant[5]).

Neque vero adduci possumus, ut in Prelleri[6]) sententiam concedamus, qui Minervam deam esse plane in aethere habitantem censet, qua dea Iovis et Iunonis natura coniuncta indicetur. Idem virginitate deae imaginem coeli Attici mirum in modum sereni significare iudicat. Etsi enim ex connubio Iovis et Iunonis ubertatem naturae manare non negamus[7]), tamen neque semper haec cum Iove coniuncta, sed huic nonnunquam opposita fingitur, neque inde quidquam efficitur ad naturam Minervae explicandam. Qui autem deae nomen ab urbe Ἀϑῆναι propterea repetendum esse censent, quod ibi sanctissimum illius domicilium fuerit eaque tacito quodam antiquitatis consensu illi urbi propria vindicetur, ii, ut Lauer[8]) recte iudicat, difficilem quaestionem inchoasse non ad exitum perduxisse putandi sunt.

Qui in syllaba ΑΘ vocis radicem inesse volet, is haud inepte censebit illam formam cum αἴϑω cohaerere, cuius vocis notio passiva haec est, ut vel inflammari vel ardere significet. Itaque αἰϑήρ fervida ac lucida illa aeris regio erit, in qua dea aetherea habitet. Ut autem ex luce et calore fertilitas tum demum nascitur, si sunt humore temperata, ita si vim naturae generantis specie divina induimus, Ἀϑήνη erit quaedam αἰϑομένη dea, quae lucem et calorem in terram effundat. Sed habet haec

---

[1]) Pausan. VIII., 26., 4.
[2]) Diod. V., 70. Coll. Schol. Pind. Ol. VII., 66. Paus. IX., 40., 2.
[3]) Cfr. Herod. IV., 180.
[4]) Cfr. Mueller Orch. u. d. Minyer. p. 354. seq. Völker myth. Gengr. p. 23. Coll. Schol. Apoll. I., 109.; IV., 1311.
[5]) Cfr. Stoll. „Handb. d. Rel. u. Myth. d. Gr. u. R.“ . Lpz. 1856.
[6]) Cfr. Preller Myth. Gr. I. p. 124.
[7]) Cfr. O. Mueller, in „Archaeol. d. gr. Kunst, No. 352. pag. 522.
[8]) Cfr. „System d. d. griech. Myth.“ p. 312.

interpretatio primum hoc iniquum, quod syllaba *ΑΘ* ex *ΑΙΘ* orta perperam correpta est. Deinde iure postulamus, ut ea dea, quae divinam Iovis vim ac mentem simillima specie referat, hanc ipso nomine habeat expressam. Eam potius deae patrocinantis tutelam ex mentis viribus profectam quam physicam rationem etiam Solon intellexisse videtur, quum haec dicit:

Ἡμετέρη δὲ πόλις κατὰ μὲν Διὸς οὔποτ' ὀλεῖται
αἶσαν καὶ μακάρων θεῶν φρένας ἀθανατάων,
Τοίη γὰρ μεγάθυμος ἐπίσκοπος ὀβριμοπάτρη
Πάλλας Ἀθηναίη χεῖρας ὕπερθεν ἔχει.

Quodsi artificibus aliquid tribuendum est, in antiquis Palladiis Minerva fere praetento clipeo et directa hasta depingitur, cuius hastae tam constans usus est, ut aliquid inde ad ipsum deae nomen interpretandum effici posse videatur. Quid si illud a voce *ἀθήρ* ducendum censeamus, quae vox et aristam et cuspidem significat? Ita si statuimus, syllaba *νός* derivativa est, ut in *δεινός* (a *δείδω*) *σεμνός* (a *σέβομαι*), elisa *ρ* littera ante litteram *ν*. Sic ipso nomine hastata virgo significatur, qualem deam belli praesidem esse decet. Consentaneum est autem rationi mythologicae, ut diis praecipua quaedam signa perpetua ac propria tribuantur, quae quis adspiciens statim, qualis deus cogitandus sit, intelligat. Hunc morem iam antiquissimis temporibus invaluisse eo probatur, quod apud Homerum tres illi fratres Olympici, inter quos imperium coeli, terrarum, orci divisum est, sua habent insignia, quibus constanti usu praediti sunt: Iupiter simplicem hastam, bidentem Pluto, Neptunus tridentem. Minerva autem quod eodem, quo pater, insigni ornatur, ea re indicatur eam artissimo cum illo cognationis vinculo esse coniunctam.

Sed quoniam non deerunt, quibus haec etymologia audacior quam verior videatur, aliam placet nominis interpretendi rationem proponere, quae haud scio an ad verum propius accedat. In promptu est enim vocis originem in verbo *θάω* quaerere, unde *τιθήνη*, *τίτθη*, *γαλαθηνός* alia ducta sunt. Voces inde formatae sunt *ἀθηλής* non lactans (Tryph. 34.), *ἄθηλος* non lactatus, qui non suxit lac. (Cfr. *θηλάζειν* lactare et lactere, *θάλλω*, *θηλή*, *θῆλυς* cet.) Vid. Ar. Lys. 881. (Cfr. Hesych. ad h. l., qui *ἄθηλον* exposuit: *μὴ τεθηλακός*).

αὕτη, τί πάσχεις; οὐδ' ἐλεεῖς τὸ παιδίον
ἄλουτον ὄντα κ' ἄθηλον ἕκτην ἡμέραν;

Πάλλας Ἀθήνη igitur est virago, quae uberum insueta lac non suxit, sed e patris capite profecta huius quasi instar est. Ita ipso nomine divinus et deae ortus et vis patris illi innata indicatur*).

---

*) Cfr. Iliad. XXIV., 58—60.: Ἕκτωρ μὲν θνητός τε γυναῖκά τε θήσατο μαζόν·
αὐτὰρ Ἀχιλλεύς ἐστι θεᾶς γόνος, ἣν ἐγὼ αὐτὴ
θρέψα τε καὶ ἀτίτηλα, κ. τ. λ.

Cfr. Lobeck. Aglaoph. I., 548.

Congruit cum hac ratione etiam Etym. M., quum haec dicit: *Ἀθηνᾶ, οἱονεὶ ἀθρηνᾶ τις οὖσα, παρὰ τὸ τὸν νοῦν ἀθρεῖν. ἢ παρὰ τὸ θῶ τὸ θηλάζω, ὁ μέλλων θήσω. οἷον, γυναῖκα τεθήσατο μαστόν. — γέγονεν ὄνομα ῥηματικὸν θήν, ἡ θηλάζουσα· καὶ μετὰ τοῦ στερητικοῦ α, Ἀθήνη. ἀμήτωρ γὰρ ἡ θεός. ἐκ γὰρ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς φασὶν αὐτὴν γεγενῆσθαι.* Adde quod *ἄθηλοι* etiam dicuntur *ἄνανδροι*, neque viri neque mulieres, ambiguam quasi gerentes personam. (Cyrill. ap. Suid. v. *σπάδων* p. 360., de eunuchis: *ἄθηλοι, ἄνανδροι, ἀνδρόγυνοι, σιδηροκατάδικοι καὶ γυναικομανεῖς προσηγορεύθησαν.*) Haud alienum igitur a re fuerit fem. *ἀθήλη* adhibere ad nomen *Ἀθήνης* derivandum (coll. Eust. ad Il. A. p. 71., 2. et 83.), eamque nominis interpretationem vel poetae Romani videntur esse amplexi, qui masculam deae virtutem voce virago designare consueverunt. Ita Ovid. Metam. II., 765. bello metuenda virago; ibidem VI., 130. flava virago; Stat. Silv. IV., 5., 23. et Theb. XI., 414. eadem deae notatio legitur, quam aliis quoque locis reperies, quos Forcellini in lexico attulit. Est etiam in scholio ad Iliad. VIII., 39. optandi formula expressa, quae in proverbii consuetudinem venit: *παῖς μοι τριτογενὴς εἴη, μὴ τριτογένεια· ἀῤῥενώδεις γὰρ αἱ τοιαῦται γυναῖκες.*

Quod autem *λ* littera cum *ν* permutata est, id nec ab Homerica aetate prorsus alienum est, et Atticorum consuetudine semivocales permutandi comprobatur. Apud hos enim

λ abit in *γ*, ut *μόγις* = *μόλις*, quae formae promiscue usurpabantur. Cfr. Lob. ad Soph. Aiac. 216.
in *ρ* — *ἀργαλέος* = *ἀλγαλέος*, cfr. Nitzsch. ad Od. 2., 244.; *ποδαργία* = *ποδαλγία* = *ποδάγρα*. Schol. Ar. Plut. 1. Poll. 2., 196.
in *ν* — *ἀνεμώλιος*, *μεταμώνιος*.
μ mutatur in *σ* — *πέφασμαι* = *πέφαμμαι*, *μεμόλυσμαι* = *μεμόλυμμαι*.
ν mutatur in *λ* — *πλεύμων* forma Attica pro *πνεύμων* (unde per methatesim pulmo). *λίτρον* = *νίτρον*, forma vetustior cfr. Herod. II., 2., 86. *ταριχεύουσι λίτρῳ* cfr. Lob. ad Phryn. p. 305.

ν et *λ* litterarum permutatio quam frequens fuerit, ex varietate scripturae vocum *ἀνεμώλιος* et *μεταμώνιος* maxime perspicitur, ex quibus *μεταμώνιος* auctoritate optimorum librorum ipsi veteres poetae non minus suum sibi vindicant, quam usus *λ* litterae in eadem voce iustus est (cfr. Nitzschium ad Odyss. II., 98.). Utraque vox ut fluxum quiddam et inconstans, inane et irritum denotat, ita iure a voce *ἄνεμος* repetitur. Lobeckii ratio (path. p. 135.) qui illa adiectiva pariter atque *ἀντιμωλία* (quae et *ἀντιμολία* scribitur) et *ἑτερομόλιος* ad originem *μολεῖν* revocat, ut *μεταμώλιος* propr. transilis, deinde mutabilis et vanus sit, exquisitior quum verior videtur. — Accedit quod veteres in nominibus deorum enuntiandis maxime variant. Ita sunt, qui *Δημήτηρ* pro *Γημήτηρ* (*γῆ μήτηρ*) dictum velint, etsi verisimilius est, primam syllabam ex illo *δά* — *αὐξητικῷ* (intensivo) esse ortam, quod in *δά* — *σκιος*, *δάφοινος*, *δάπεδον* reperitur, ut *Δαμήτηρ* quasi quaedam rerum omnium parens sit.

Omnino vis particulae δα latius, quam vulgo creditur, patere videtur, neque inepte iudicare nobis videmur, eam in δάπτω, δασύς, δατέομαι, δαίω (ΔΑΩ) et in affirmante vel comprobante illo δή reperiri, quod et Buttmannus (cfr. Lexil. 2., p. 191.) ex adversativa particula δὲ profectum esse parum recte censet, et qui nuper Passovii lexicon ediderunt (v. lex. ed. quint. s. h. v. p. 611.) eiusdem originis cum voce δῆλος esse atque a δαῆναι fortasse repetendum esse vix iure opinantur.

Ceterum quum nomina Πάλλας Ἀθήνη iam antiquissimis illis temporibus iuxta posita reperiantur, quibus inter adjectiva et substantiva non ita diligenter distinguebatur, credibile est, vocem Ἀθήνη ad Πάλλας ἐπιθετικῶς ita appositam esse, ut Πάλλας Ἀθήνη compositum quasi sit ἐν παραθέσει (cfr. Krüger Gr. Gr. §. 57, 1. ct. adn. 1.) quod ubi fit deorum in nominibus, articulus aut bis poni aut prorsus omitti solet (cfr. Krüger Gr. Gr. §. 50., 7. adn. 10.). Iam vero, quemadmodum apud Homerum substantiva ἀνήρ et γυνή haud raro apposita habent nomina, quibus hominum vel ordo ac genus, vel negotium indicatur (ut ἀνὴρ ἰδιώτης, τέκτονες ἄνδρες): ita deorum etiam nominibus quaedam ἐπίθετα adiuncta erant, quibus illorum natura melius designaretur. Itaque Πάλλας Ἀθήνη (i. e. Ἀθήλη) virago bellatrix est, non a matre, sed ab ipso Iove progenita, cuius quasi expressa imago et perfecta ὑπόστασις est. Sic ipso deae nomine summa eius dignitas atque potestas significatur, quam habet cum patre communem, ad quam dignitatem multa, quae a poetis traduntur, referenda sunt. Iupiter enim filiae, quae simillimam ipsius speciem refert, peccatorum omnium veniam dat, tantaque in eam est indulgentia, ut ceteri dii haud raro illud conquerantur, ut Mars Iliad. V., 875—880. coll. Il. VIII. init. et 39. seq. ib. 360. et 373. Atque nonnunquam Minerva cum Iove coniuncta commemoratur, vel huius vice fungitur: cfr. Iliad. VIII, 287.; X. 552., 553.; XI., 735.; coll. Odyss. XX., 42; ib. XVI., 260. 549.; coll. Iliad. XX., 192. eademque ut ait Horatius Od. I., 12, 20. proximos Iovi occupavit honores coll. Od. XX., 265. Hes. Theog. 896.:

ἶσον ἔχουσαν πατρὶ μένος καὶ ἐπίφρονα βουλήν*).

Iovis autem maiestatem fieri non potuisse, ut filius innatam haberet, sed debuisse filiam ex patre ortam propriam accipere, non modo ex eo consequemur, quod, ut Naegelsbach. l. l. p. 104. et 105. observavit, si filius ex Iove natus esset, idem discordiarum in Olympo domesticarum auctor exstitisset, sed causam habet reconditam ipsi antiquitati parum exploratam. Divinitus enim poetarum animis haec insidebat cogitatio, si numinis divini natura specie humana esset reddenda, illam non in viro, sed in virgine videri recte expressam. Eam antem virginem, in quo Graeci, quidquid sancti numini divino tribuendum censebant, apparere vellent, iure sine matre ab ipso Iove profectam, et, ut cum Hermanno dicam, nelactam credebant. Singularis autem illa optandi formula:

---

*) Cfr. Naegelbach in: „homer. Theol.“ p. 100. sqq.

Αἴ γὰρ, Ζεῦ τε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη, καὶ Ἄπολλον[1])
aliquid in se habet divini illius mysterii, quod de deo patre, filio sanctoque spiritu uno numine coniunctis doctrina christiana exhibet. Hanc vim habuit illa sapientia in primordiis rerum a deo cum hominibus communicata, ut obscurata quidem erroribus et fabularum commentis tamen non prorsus interiret, sed vel in Graecorum de summo deo doctrina eluceret. Ut enim *Παλλὰς Ἀθήνη* Iovis summam sapientiam atque providentiam tanquam personam exhibet ab ipso profectam, aeternamque eius *μῆτιν* significat, ita *Ἀπόλλων* filius patri in omnibus rebus obtemperat eiusque voluntatem hominibus aperit. Quae quum ita sint, videre iure nobis videmur etiam apud Graecos cultum deorum ab unius dei cognitione hominum vitiis et erroribus paulatim depravata emanasse[2]).

Quae de Minerva hactenus disseruimus, si vera sunt, haud scio an opinio Naegelsbachii angustior de illius deae natura et vi, quam in Iliade aliam atque in Odyssea esse vult, inde orta sit, quod eam rationem, quae inter Iovem et Minervam intercedit, non omni ex parte exploratam habuit. Ille enim quum res in Iliade et in Odyssea narratas sola deorum dissensione inter se differre censeat, quae in Iliade maxima, in Odyssea nulla sit, Iovem et Minervam in illa quidem mutuas exercere inimicitias, in hac vero summa concordia consilia conferre existimat[3]). Atqui deos in Odyssea quoque etiam saepius inter se dissentire vel inde apparet, quod Ulixes, quia Polyphemum caecum reddiderat, eiusque socii boves Solis mactaverant, Neptunum deum iratum, Minervam vero ubique habet adiutricem consiliorum suorum. In utroque carmine omnes res divinae humanaeque invicta illa fati necessitate reguntur, qua Troia ad interitum praecipitatur. Quae autem in fatis erant (*Μοίρας* consilia) Minervae potissimum auxilio perficiuntur, quae et in Iliade Graecorum partibus favet, et in Odyssea Ulixi reditum in patriam parat. Non igitur in deorum dissensione vel concordia praecipua causa, cur Ilias ab Odyssea discrepet, frustra allatis locis Od. XXIV., 472. sqq. et Il. XXI., 385. sqq. et imprimis 432., quaerenda est, sed in ea ratione, qua dii in utroque carmine ficti et formati sunt. Illi enim quum in priore carmine magis ad hominum naturam atque indolem conformati sint, habent quandam cupiditatum humanarum communionem; in Odyssea vero deorum imagines perfectiorem divinae maiestatis speciem referunt. In utroque carmine quoties duo vel plures dii Iovis consiliis adversantur, illi fere fatali fati necessitati obnituntur, cuius singularis vis modo Iovi ipsi ceterisque diis opposita, modo deorum numine gubernata, nonnunquam etiam impedita cogitatur. Neque vero dubitari potest, quin illa deorum et fati repugnantia

---

[1]) Cfr. Il. II., 371.; VI., 288.; VII., 132.; XVI., 97.; Od. VII., 311.; XVIII., 234.; XXIV., 275. Coll. Soph. Oed. Col. 1085—1092.

[2]) O. Mueller in „Prolegom.“, p. 245. sqq.
Naegelsbach. l. l. p. 108. med.

[3]) Cfr. Naegelsbach. l. l. p. 103. med., — qui secutus videtur esse imprimis Zeyssii commentationem „quid Homerus cet. p. 34. —

maior in Iliade quam in Odyssea appareat. Iupiter quidem quanti faciat, se suo, non alieno imperio subiectum esse, eo Iliadis loco demonstrat, quo posse se omnes deos catena suspensos trahendo in Olympum attollere praedicat. Cfr. VIII., 17—27.

Sed ut eo, unde deflexit, nostra redeat disputatio, Homerum constat, prout metrum desideret, nullo facto discrimine, filiam ex Iovis capite natam ideoque *ὀβριμοπάτρην* (cfr. Od. XXIV. extr.), modo voce *Ἀθήνη*, modo forma *Ἀθηναίη* designare. Homero et Ionibus quum usitata esset *Ἀθήνη* et *Ἀθηναίη*, Atticis vetustioribus in usu erat forma *Ἀθηναία*, quam formam, non *Ἀθηνᾶ*, in publicis monumentis ante Euclidem Archontem (Olymp. 94., 2.) usurpari observatur a Boeckhio viro clarissimo[1]). Neque enim eorum probanda sententia est, ut supra diximus, qui voce *Ἀθηναίη* deam Atheniensem significari censent, praesertim quum notum sit, nominibus haud raro adiectiva paragogica substitui, qualia sunt *ἀναγκαίη* pro *ἀνάγκη*, *ἀμοιβαίη* pro *ἀμοιβή*, *ἀρχαίη* pro *ἀρχή* cet.[2]). Quae cum ita sint, in ineptis grammaticorum commentis habendum esse putamus, quod monent, *Ἀθηναίους* quidem dictos esse viros Athenienses, non item mulieres *Ἀθηναίας*, sed *Ἀττικὰς* seu *Ἀτθίδας*, idque factum esse *αἰδοῖ τῆς πολιάδος* s. *πολιούχου Ἀθηναίας* verecundia deae adiutricis, *ἵνα μὴ τὴν ἄγαμον αἱ γαμούμεναι τῇ προςηγορίᾳ καταισχύνωσιν*. Cfr. Ruhnk. ad Longin. 34., 2.

Explicata ratione vocis *Ἀθήνη* restat, ut alterum illud nomen, priori ab Homero saepe additum, diligentius examinemus. In quo primum hoc singulare est, quod dea illa apud Homerum saepenumero duobus nominibus *Πάλλας Ἀθήνη* iuxta positis, nunquam sola voce *Πάλλας* designatur, quum alii dii, velut Neptunus, Vulcanus, Apollo haud raro nominibus appellativis *Ἐνοσίχθων*, *Ἐννοσίγαιος*, *Ἀμφιγυήεις*, *Φοῖβος* seorsum positis denotentur. Singulari hoc Homeri usu eorum opinio refellitur, qui vocem *Πάλλας* a *πάλλειν* vibrare, quatere, agitare ducendam esse arbitrantur. Quae si probabilis esset opinio, quum aut virgo hastata s. hastae vibratrix, aut dea fortasse a fulmine vibrando denominata efficeretur, quae notio deae belli praesidi optime congrueret, nihil obstaret, quin Homerus Minervam nonnunquam etiam voce *Πάλλας* sola posita appellaret. Sed id apud tragicos demum et lyricos poetas atque apud Romanos poetas ita est pervulgatum, ut ambo nomina rarissime coniuncta reperiantur, quod ubi fit, illa nomina haud raro aliis verbis interiectis separantur. (Cfr. Soph. Oed. Col. v. 1090., Pind. Pyth. 12., 13.) Unde recte coniicere videmur universam magis ac generalem, quam propriam ac singularem in voce *Πάλλας* inesse notionem. Itaque Eustathius (p. 84., 35.; 1742., 35.) atque grammatici alias nominis deducendi rationes inierunt, quarum complures in Etym. M. p. 649., 52. habemus compositas: *Πάλλας ἡ Ἀθηνᾶ· ἢ παρὰ τὸ ἀναπεπάλθαι ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διός·*

---

[1]) Cfr. Staatshaush. d. Athen. t. II., p. 200.

[2]) Cfr. Dorvill. ad. Charit. p. 736. Markl. ad Iph. p. 411. Schaef ad L. Bos. Ellips. p. 534. al. et ad Greg. Cor. p. 394.

ἢ ὅτι Πάλλαντα, ἕνα τῶν γιγάντων ἀπέκτεινεν· ἢ παρὰ τὸ ἀεὶ πάλλειν καὶ κραδαίνειν τὸ δόρυ· πολεμικὴ γάρ ἡ θεός· ἢ διὰ τὸ παλλομένην τὴν καρδίαν τοῦ Διονύσου προςκομίσαι τῷ Διΐ. Ab his fere omnibus praecipua vis voci *πάλλειν* tribuitur, sed ita tribuitur, ut verbum ad varias res referatur. Et prima quidem etymologia ab scholiasta allata etsi haud multum ab ea, quam supra ex voce *ἀθήλη* repeti posse demonstravimus, discrepet, tamen et artificiosa atque quaesita est, nec cum veterum de divino virginis ortu opinione congruit. Etenim artis monumenta si consulimus, quibus res depingitur, in promptu est pateram rotundam inspicere, quam Millin Gal. myth. XXXVII., 126. exhibet. Ibi Iupiter conspicitur in sede regia sedens nubibus Olympicis undique involutus. Adest a dextra Diana operi obstetricio haud sine labore intenta, quae ambabus manibus sursum erectis Palladem galea, hasta, aegide instructam e capite Iovis educit. Iuvat deam a sinistra Venus, quae superiorem paterni corporis partem ambabus manibus amplectitur et genu paululum inflexo intentis viribus annititur, ut Pallas in lucem edatur. Adest ibidem Vulcanus sinistram oculis quasi divino splendore praestrictis obtendens, dextra securim attollens. Crederes deum exspectatione suspensum, dum Pallas integra nasceretur, spectare. Hoc apparatu obstetricio satis probatur partum difficilem indicari, nec posse cogitari Palladem facili lapsu e patris capite exisse vel prosiluisse *ἀναπεπάλθαι*. Verba scholiastae: *ἢ ὅτι τὸν Πάλλαντα, ἕνα τῶν γιγάντων, ἀπέκτεινεν·* ad deorum bella cum Titanis, cum gigantibus gesta respiciunt, quibus gigas Pallas interfuit, (Hom. merc. 100. Hes. Theog. 373., 383.), quem eundem nonnulli Minervae patrem esse voluerunt. Etsi vero concedamus illum gigantem a Minerva esse interfectum, tamen nihil in ea re causae est, cur nomen Minervae inde repetitum censeamus, praesertim quum artis monumenta alios quoque gigantes una cum Pallante a Minerva caesos referant. Placet inspicere picturam in gemma descriptam (apud Millin. XXXVII., 128 et 143. coll. Ekhel Num. anecdott. XIII., 15.) in qua Pallas, Enceladus, Typhoeus a Minerva necantur. Istam si amplectimur sententiam, quae dubito incautior an ineptior sit, habemus Palladem parricidam, qua re ipsi Titanum certamini haud levis adspergitur labes multumque de singulari eius vi detrahitur, quae haec est, ut deorum legis ac boni ordinis praesidum cum natura legis consiliique experte certamen depingatur*). Eam sententiam, quam scholiasta verbis: *ἢ παρὰ τὸ ἀεὶ πάλλειν καὶ κραδαίνειν τὸ δόρυ* expressit, supra refutavimus.

Restat ut ea verba, quibus scholiasta quartam nominis repetendi rationem exhibet, examinemus. Sacra Dionysi in Creta insula orta ab Epimenide Athenas illata sunt, ubi, quia Homerum auctorem sequi non licebat, variae de illo deo fabulae fere populi arbitrio excogitatae sunt. In his est fabulis, Dionysum a Titanis discerptum,

---

*) Cfr. Hor. Od. III., 4.; Pind. Pyth. VIII.; coll. Aeschyl. Eumen. 289. sqq.; Eurip. Ion. 206 sqq., 987. sqq., 1528.

partes autem dissectas in aenum, ut coquerentur, esse abiectas; ibi cor dei vivum ac palpitans a Minerva manibus Titanum surreptum, cuius frustra, ad Delphos sepulta, redeunte vere quotannis resuscitarentur, ad Iovem esse delatum. Hic cultus Dionysi, ut recentior ille, qui Athenis invaluit, Iacchi, Iovis et Corae filii, quum ad doctrinam de immortalitate animi, quae mysteriis Eleusiniis initiatis tradebatur, pertineret, et alienus ab aetate Homeri est, nec quidquam ad Minervae nomen explicandum confert.

Illud quidem satis apparet, vocem *Πάλλας* a *πάλλειν* esse repetendam, sed alia, atque scholiasta voluit, ratione. Significatur illa et corporis et animi mobilitas (*εὐκινησία*), ex qua summa ad quamvis rem agendam alacritas et industria florentis imprimis aetatis proficiscitur; quae quidem notio tam late patet, ut etiam ad rem amatoriam translata sit. Itaque apud ipsum Homerum nomina *παλλακή* et *παλλακίς* pellicem notant, quae *κουριδίῃ ἀλόχῳ* opposita est. Prima quidem vocis *πάλλαξ*, ut substantivi *κόρη*, vis haec erat, ut virginem significaret; cfr. Etym. M. p. 649., 59.: *παλλακίς, ἡ παῖς· κατὰ Δωριεῖς, πάλλαξ λέγεται.* coll. Eustath. p. 1419., 50.; postea utraque vox pariter de virgine vel sponsa atque de pellice usurpabatur (cfr. Il. I., 98., 337.; II., 689. al.). Quamquam honoris causa et Penelope vocatur *κούρη Ἰκαρίοιο* (Od. I., 329.; XVI., 435.; XVIII., 244., 284.), et Minerva modo *Διὸς κούρη* (Il. X., 296.; Od. II., 296.; XIII., 318.), modo *γλαυκῶπις κούρη* (Il. XXIV., 26; Od. II., 433.; XXIV., 517.) appellatur. Formae autem *Πάλλας, αδος* et *Πάλλας, αντος* eiusdem sunt originis, *ξ* et *σ* litteris inter se permutatis, qualis permutatio in *ὄρνις* et *ὄρνιξ* reperitur. Inversa has litteras permutandi ratio Atticis, imprimis Thucydidi et quibusdam oratoribus, frequens est, apud quos *ξύμπας, ξύμμαχος* pro *σύμπας, σύμμαχος*, id genus alia haud raro leguntur. Simili ratione litterae *ρ* et *σ* permutantur, velut in *μυρσίνη* et *μυῤῥίνη*: Arch. fr. 25. Bgk. *ἄῤῥην* et *ἄρσην* (trag.).

Est igitur *Πάλλας Ἀθήνη* virgo non minus corporis venustate quam animi sapientia insignis, in qua summa dignitas virilis cum omni virtute muliebri mirum in modum coniuncta est. Illa autem gravitas consilii plena, quam in Minerva reperimus, quum ab indole Ionica quodammodo abhorreat, haud immerito coniicias priscum deae cultum ipsis Atticae Aboriginibus deberi et postea demum ab Ionibus, qui ante Dores illam terram occupaverant, variis modis esse immutatum. Primi Atticae incolae haud dubie etiam fabulam de ortu Minervae excogitaverunt, quae deinde latius propagata Homeri aetate, quamvis poeta nihil de ea memoriae prodat, erat pervulgata. Procedente tempore opinio illa de Minerva ex Iovis capite progenita in animis civium Atticorum tam fixa haerebat, ut deae signum a Phidia ex auro et ebore factum, quod in summa arce conspiciebatur, simpliciter *ἡ παρθένος* appellaretur. Virginitatem deae inter eius virtutes etiam Hesiodus Theog. 895., 96. primam commemorat:

Πρώτην γὰρ κούρην γλαυκώπιδα Τριτογένειαν
Ἴσον ἔχουσαν πατρὶ μένος καὶ ἐπίφρονα βουλήν.

ex quo ortu deae deinde (v. 924. sqq.) reliquae Minervae virtutes repetuntur:

Αὐτὸς δ' ἐκ κεφαλῆς γλαυκώπιδα Τριτογένειαν,
Δεινὴν ἀγροκύδοιμον, ἀγέστρατον, ἀτρυτώνην,
Πότνιαν, ᾗ κέλαδοί τε ἅδον πόλεμοί τε μάχαι τε.

coll. Scut. Herc. 197—200.

Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin virtutes praecipuae, quae Minervae tribuuntur, omnes iam ante Homeri aetatem communi populi consensu et constanti usu illi ita assignatae sint, ut poetae nihil aut addere aut demere licuerit. Quod autem Homerus non omnes partes fabulae de Minerva attigit, id factum est consilio poetico, quod in utroque carmine aliud est. Nam in Iliade bellica potissimum deae virtus apparet[1]), in Odyssea Minervae Ulixi patrocinantis consilium ac sapientia[2]). Poeta si omnia, quae de Minerva in populi ore erant, esset prolocutus, metuendum erat, ne pulchritudo carminis, quod unum et simplex esse debebat, multis modis turbaretur. Homerus igitur quae tacet, ea de industria silentio praetermisisse putandus est.

Minerva in ea ipsa urbe, cui nomen dedit, tam assiduo studio colebatur, ut in omnibus rerum et publicarum et privatarum partibus praesens civibus adesse crederetur. Itaque illa non solum quasi quaedam *πολιὰς* et *ἀρχηγέτις* agriculturam et rem maritimam tuebatur[3]), atque arae *Ὑγιείας* assidens saluti hominum prospiciebat[4]), sed etiam dea *νίκη καὶ εἰρηνοφόρος* bella ad felices exitus perducebat[5]), denique artes et litteras atque varia quaestus genera praesidio suo augebat. Praeerat eadem operibus mulierum, imprimis lanificio, quare in adyto summae arcis tamquam dea *ἐργάνη* (operosa Horat.) colebatur. Quas virtutes etsi non omnes ab Homero praedicari potuisse consentaneum est, tamen haud paucae earum in Iliade et Odyssea commemoratae sunt[6]). Nam et navis fabricandae consilium ac praecepta dat, et vestes magnificas ut ipsa facit, ita puellas et mulieres facere edocet; eadem certamina et conserit et concitat, quare saepenumero *ληῖτις, ἀγελεία, λαοσσόος*, appellatur, denique pericula et interitum ab urbe propulsat (*ἐρυσίπτολις, ῥυόπτολις*). Princeps autem et regina harum virtutum illa est sapientia, quae etiam certamina ac bella moderatur.

Videtur hoc imagine deae apud Millinum XXXVII., 137. significari, ubi Minerva erecto corpore dextram manum attollens, sinistra facem belli in ara exstinguens designata est. Ibidem no. 127. in vetere nummo Attico dea, cui oliva addita est, cum Neptuno contendit, uter urbi modo conditae nomen daturus sit. Ibi quum Neptunus equum, olivam Minerva procreasset, *Ποσειδῶν Ἵππιος* ex eo certamine

---

[1]) Cfr. Preller in „Myth. gr." t. II., p.284. med.
[2]) Cfr. I. F. Lauer „Gesch. d. hom. Poes.", p. 247—292. Od. XIII., 297. sqq. Coll. Il. I., 194.
[3]) Cfr. Aristoph. Eqq. 581.
[4]) Paus. I., 23., 5. Plut. Pericl. 13.
[5]) Hesiod. scut. Herc. 339. Coll. Soph. Philoct. 134. et Aristoph. Eqq. 581.
[6]) Il. V., 735.; IX., 390.; XIV., 178.; Od. VI., 232.; VII., 110.; XX., 66. sqq.; XXIII., 159.; Hymn. Ven. 12.

inferior discessit[1]). Unde Minerva ipsa, cuius in tutela ac praesidio et bellica virtus et res maritimae essent, *Ἱππία* et *Σουνιάς* appellata, cum in colle apud Colonum sito, tum in Sunio promontorio una cum Neptuno pie colebatur[2]). Dea autem, quae olivam dedit, eadem fertilitatis omnisque fructus et terrestris et maritimi laudem habet. In oliva noctua assidet, prudentiae signum et sollertiae; ad arborem serpens se applicat, qua fabula de Erechtheo vel Erichthonio significatur. Is a Vulcano et Terra mirabili modo procreatus, quem *Πάνδροσος*, *Ἕρση*, *Ἄγλαυρος* sorores curant ac fovent, a Minerva imprimis diligitur, idemque primus Atticae *αὐτόχθων* agriculturam et reliqua deae dona cum incolis communicat[3]). Homerum eadem, quae posterioris aetatis fabulae de Erichthonio commemorant, ad Erechtheum retulisse, qui artissimo necessitudinis vinculo cum Minerva coniunctus inter Athenienses quasi primas tenet, iure colligas ex Il. II, 547; Od. VII, 80, 81. — Ille enim, quum in aede Minervae dea ipsa fovente adultus Atticae regnum usurpasset, et vetus illud *ξόανον Ἀθηνᾶς* in Acropoli constituisse, et panathenaeorum sacra instituisse fertur[4]). Utrumque nomen tametsi non ab eadem stirpe repetendum esse recte vidit Preller[5]), alterum ad *ἐρέχθω* (all. Il. 23, 317.) pertinere, alterum i. q. vocem *ἐριούνιος* esse contendens, tamen cur ab Apollodoro (l. l. III., 14., 6.) et Etym. M. (371., 34. et 45.) discrepet non video. Apud illum enim haec legimus: *ἐκείνη δὲ (Ἀθηνᾶ) ἐρίῳ ἀπομάξασα τὸν γόνον εἰς γῆν ἔρριψε. Φευγούσης δὲ αὐτῆς, καὶ τῆς γονῆς εἰς γῆν πεσούσης, Ἐριχθόνιος γίνεται.* — Etym. M. autem haec habet: *ἡ δὲ Ἀθηνᾶ, λαβοῦσα ἔριον, ἐξέμαξε τὸ σπέρμα, καὶ ἔῤῥιψεν ἐν τῇ γῇ· καὶ ἐγένετο ἐκ τῆς γῆς καὶ τοῦ ἐρίου ἄνθρωπος δρακοντόπους, ὃς ἐκαλεῖτο Ἐριχθόνιος, ἀπὸ τοῦ ἐρίου καὶ τῆς χθονὸς λαβὼν τὸ ὄνομα τοῦτο.* Ut autem Minerva reliquas virtutes ubique sapientia illa ex Iovis mente profecta temperat, ita etiam in Iliade dea bellatrix a Marte multum discrepat. Hic enim quum ferocissimo semper ardore bellico ita efferatur, ut ipsi Iovi invisus sit (Il. V., 890. sqq.) Minerva in conserendis certaminibus ubique consilio et prudentia utitur[6]). Quare ne Mars nimio bellandi studio abreptus omnem modum excedat, ipsa Diomedem, ut deum istum aggrediatur, concitat.

Qualis autem Minerva ubique in Iliade et Odyssea apparet, talis etiam in hymno XI. *εἰς Ἀθηνᾶν* conspicitur:

---

[1]) Qua de re vide Callimachum apud Scholiastam ad Il. XVII., 54., qui haec habet: Ποσειδῶν καὶ Ἀθηνᾶ περὶ τῆς Ἀττικῆς ἐφιλονείκουν· καὶ Ποσειδῶν μὲν ἐπὶ τῆς ἀκροπόλεως τῆς Ἀττικῆς κρούσας τῇ τριαίνῃ κῦμα θαλάσσης ἐποίησεν ἀναδοθῆναι, Ἀθηνᾶ δὲ ἐλαίαν· κριτὴς δὲ αὐτῶν γενόμενος Κέκροψ ὁ τῶν τόπων τῆς Ἀττικῆς βασιλεὺς τῇ θεῷ προσένειμε τὴν χώραν, εἰπὼν ὅτι θάλασσα μέν ἐστι πανταχοῦ, τὸ δὲ φυτὸν τῆς ἐλαίας ἴδιον Ἀθηνᾶς. Cfr. Apollod. III., 14., 1.

[2]) Cfr. Odyss. III., 278. Coll. Soph. Ai. 1220., 21. Arist. Eqq. 560. sqq.

[3]) Cfr. C. O. Mueller in.: „Minervae Poliadis sacra et aedes in arce Athenarum.“ Goett. 1820. et kl. d. Schrr. t. 2. p. 138. sqq.

[4]) Apollod. III., 14., 6. extr. Coll. 15., 1.

[5]) Cfr. Myth. gr. t. II., p. 92., not. 1.

[6]) Apollod. III., 6., 8. Schol. Il. V., 156.

Παλλάδ' Ἀθηναίην ἐρυσίπτολιν ἄρχομ' ἀείδειν,
δεινήν, ᾗ σὺν Ἄρηϊ μέλει πολεμήϊα ἔργα,
περθόμεναί τε πόληες, ἀϋτή τε πόλεμοί τε·
καί τ' ἐρρύσατο λαὸν ἰόντα τε νισσόμενόν τε.
χαῖρε θεά, δὸς δ' ἄμμι τύχην, εὐδαιμονίην τε.

Aliud, quod Minervae ab Homero tribuitur, appositum *Ἀλαλκομενηΐς* est (Cfr. Il. IV., 8. et V., 908.). Quod si illud cum *ἀλαλκεῖν* cohaerere censemus [1]), i. e. *βοηθεῖν διὰ μένος*, — ut sit, quae multo robore multisque viribus iuvat et defendit, auxilio potens — sententia nostra confirmatur, Minervam ex Iovis mente natam non modo deam esse consilii ac sapientiae plenam, sed etiam pugnacem, arma infesta et inferentem et propulsantem. Verissima haec sententia etiam ab scholiasta ad Iliad. IV., 8. his verbis indicatur: *ἡ ἀλάλκουσα τῷ μένει ὅ ἐστι βοηθοῦσα.* Idem si addit vocem *Ἀλαλκομενηΐς* etiam ab urbe Boeotiae, vel a monte Attico, vel ab heroe Boeotio Alalcomene repeti posse, quamvis et heros exstiterit et urbs, tamen haec a dea, non dea ab urbe, nomen accepisse putanda est.

Quae haetenus deae nomina a nobis illustrata sunt, iis singulis internam illius naturam designari demonstravimus. Sed quum eadem ad res humanas maximam vim exercere variisque negotiis praeesse crederetur, dubitari non potest, quin alia quaedam nomina exstiterint, quibus externa deae vis significaretur. Huc spectare videtur vox *Τριτογένεια*, in qua interpretanda homines docti ab antiquissimis temporibus multum laboris consumserunt. Hoc quidem illi recte suspicati sunt, eo nomine ad ipsum deae ortum respici; unde vero vox repetenda sit, id saepe ita in controversiam vocatum est, ut mirabiles et insolitae interpretandi rationes excogitatae sint. Quod si Etym. M. et scholiastam ad Iliad. VIII., 39. consulimus, ibi quum aliae tum haec interpretatio proponitur: *ὅτι ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διός ἐξῆλθεν.* Credebatur videlicet *τριτώ* vetusta esse vox vel Cretensis vel Boeotia, qua caput designaretur. Sed eam vocem a grammatico fictam esse, recte Welckerus docuit [2]). Videntur potius formae *Τρίτων*, *Τριτωνίς*, *Ἀμφιτρίτη*, *τρίζω* ex *τρέω* ducendae, id autem verbum praefixa *τ* littera ex *ῥέω* esse ortum. Ita Etym. M.: *Τρίτων ὄνομα ποταμοῦ· παρὰ τὸ τρεῖν τὸ φοβεῖσθαι, ὁ φόβον ἐμποιητικός· ἢ παρὰ τὸ ῥεῖν.* Ibidem, neglecta quantitatis ratione, haec additur interpretatio: *ἢ παρὰ τὸ ἐκ τριῶν γενέσθαι, τρίων καὶ πλεονασμῷ τοῦ τ, τρίτων· καὶ γὰρ ἕκαστος ποταμὸς τριῶν τινῶν μετέχει, γῆς, ἀέρος, ὕδατος.* Extrema quidem scholii verba ad fluvii naturam parum apta sunt, hoc tamen illa interpretatione aperte indicari videtur, esse quandam inter *τρεῖν*

---

[1]) Cfr. ἀλαλάζω, ἀλαλή, ἀλαλητός quae Buttmanno auctore (Lexil. I., p. 289.) ad ἀκή et ἀλέκω referenda sunt, atque Etym. M. ἐπαλεξητικὴν προθυμίαν ἔχουσα. ἢ ἡ ἐν ἀλκῇ μένουσα, ἀλκὴ δὲ καὶ μάχη· καὶ ἀλκάζειν τὸ μάχεσθαι. Coll. Soph. Ai. 401. ἁ Διὸς ἀλκίμα θεός 450. ἡ Διὸς γοργῶπις ἀδάματος θεά. Preller gr. Myth. I., 141.

[2]) Cfr. „Kret. Col. i. Theben".

et *ῥεῖν* cognationem. Nam et aquae fluentis motus aliquid trepidi et horridi habet, et animus hominis in fluvium vivum despicientis tacito quodam horrore vel desiderio perfunditur, quam animi affectionem Goethe egregio illo carmine, quod piscator inscribitur, eximia cum venustate depinxit. Vetustum igitur Tritonis nomen fluminibus quibusdam propterea videtur esse inditum, quod prisci illi fluminum accolae admirati vim aquae modo leni cursu fluentis, modo rapido vortice sese praecipitantis divinum quiddam subesse sentiebant, quam vim divinam horrorem hominibus iniicientem Graeci postea imagine Neptuni terras ambientis et concutientis (*γαιήοχος*, *ἐνοσίγαιος*, *ἐνοσίχθων*, *σεισίχθων*) expresserunt; nec dissimilis causa est, cur Iovi et Minervae aegidem terrorem iniicientem tribuerint.

Quod supra diximus, Graecorum deos iam Homeri aetate tales fuisse, quales posteriorum temporum consensu crederentur[1]) et publicum illorum cultum prisco more sancitum pia religione esse retentum[2]), id etiam recentiore aetate prudentissimus quisque ita sibi persuasit, ut in quaestionibus de Graecorum diis instituendis omnia ab ipso Homero repetenda esse censeret[3]). Recte igitur statuimus etiam vocem *Τριτογένεια* notionem habuisse a vetustate traditam et apud Graecos satis pervulgatam. Quae qualis fuerit notio coniiciemus, si verba Pausaniae I., 14., 6: „*ὑπὲρ δὲ τὸν Κεραμεικὸν καὶ στοὰν τὴν καλουμένην τήν βασίλειον ναός ἐστιν Ἡφαίστου· καὶ ὅτι μὲν ἄγαλμα οἱ παρέστηκεν Ἀθηνᾶς, οὐδὲν θαῦμα ἐποιούμην τὸν ἐπὶ Ἐριχθονίῳ ἐπιστάμενος λόγον· τὸ δὲ ἄγαλμα ὁρῶν Ἀθηνᾶς γλαυκοὺς ἔχον τοὺς ὀφθαλμούς, Λιβύων τόν μῦθον εὕρισκον· τούτοις γάρ ἐστιν εἰρημένον Ποσειδῶνος καὶ λίμνης Τριτωνίδος θυγατέρα εἶναι, καὶ διὰ τοῦτο γλαυκοὺς εἶναι ὥσπερ καὶ Ποσειδῶνι τούς ὀφθαλμούς* — cum iis comperaverimus, quae apud eundem I., 18., 2. et apud Apollodorum I., 14., 6. leguntur[4]).

Ex his primum colligimus, quod supra attigimus, veterem fuisse famam, Athenis a Vulcano et Terra filium procreatum, eundemque quasi *αὐτόχθονα* Minervae curandum esse oblatum. Complura inde sacra orta sunt, quibus Erichthonius ab Pandroso, Herse, Aglauro, Cecropis filiabus nutritus celebraretur, quae sacra quum ad agriculturam terraeque fertilitatem pertinerent, haud dubie cum cultu Neptuni et Minervae ex Tritonidis undis ortae coniuncta erant (cfr. Herod. IV., 178. et 191.). Quod autem ad eundem cultum etiam alia in aliis locis sacra spectant, velut Alipherensium in Arcadia[5]) et Alalcomenensium in Boeotia[6]), qui flumini templum Minervae praeterlabenti Tritonis nomen dederant, ut illam de deae ortu fabulam non a Lybia

[1]) Cfr. Nitzsch. ad. Hom. Od. II., p. 96.

[2]) Hermann „Lehrb. d. g. Alterth. d. Gr. u. R.“ §. 2. extr.

[3]) Schoenborn: „Ueber das Wesen Apollo's“. Berl. 1855, p. 32. et 33.

[4]) Creuzer „Symbol. III., p. 388. sqq.

[5]) Cfr. Pausan. VIII., 26., 6. *καὶ Διός τι ἱδρύσαντο Λεχεάτου βωμὸν ἅτε ἐνταῦθα τὴν Ἀθηνᾶν τεκόντος, καὶ κρήνην καλοῦσι Τριτωνίδα, τὸν ἐπὶ τῷ Τρίτωνι οἰκειούμενοι λόγον.*

[6]) Pausan. IX., 33., 7. extr. Coll. Strab. IX., p. 430.

adscitam demonstrarent, sed eam sibi propriam vindicarent, id eo explicandum est, quod apud Homerum singuli dei sua habent loca, quae praecipuo amore amplectuntur. Namque Apollo Chryse, Cilla, Tenedo, Iuno Argis, Mycenis, Lacedaemone, Neptunus Aegis, Venus Papho maxime delectantur [1]). Poeta igitur quum Minervam *Τριτογένειαν* vocat, non solum certum locum, quo dea ex patris capite progenita sit, nominat, sed idem naturam deae prosperitatem et fertilitatem afferentis eo significat, quod illam prope flumen dicit esse natam. Est autem simplicitatis et perspicuitatis epicae, deos, quamvis omnia et posse et nosse credantur [2]), non ubique ac prorsus a sensibus sevocatos cogitare, sed quasi praesentes ac vivos ob oculos hominum ponere. Quare fit, ut nomina locorum quasi ornantia quaedam epitheta deorum nominibus etiam tum addantur, quum de prima ratione, quae inter deos ac loca intercedit, non amplius cogitatur [3]).

Ad vetustissimam illam de Minerva *Τριτογενείᾳ* fabulam etiam hymnus XXVIII. respicit, ubi haec legimus:

Πάλλαδ' Ἀθηναίην κυδρὴν θεὸν ἄρχομ' ἀείδειν,
γλαυκῶπιν, πολύμητιν, ἀμείλιχον ἦτορ ἔχουσαν,
παρθένον αἰδοίην, ἐρυσίπτολιν, ἀλκήεσσαν,
Τριτογενῆ· τὴν αὐτὸς ἐγείνατο μητίετα Ζεὺς
σεμνῆς ἐκ κεφαλῆς, πολεμήϊα τεύχε' ἔχουσαν,
χρύσεα, παμφανόωντα· σέβας δ' ἔχε πάντας ὁρῶντας
ἀθανάτους· —

quibus verbis opinio, quam scholiastes ad Apoll. Rhod. II., 1310. pronunciavit, famam de dea ex Iovis capite nata inde a Stesichori demum temporibus pervulgatam esse [4]), satis refellitur. Quae enim Homero et Hesiodo usitatissima sunt ephiteta *γλαυκῶπις* et *Τριτογένεια*, ea etiam in hymno eum locum obtinent, ut ad imaginem deae accurate effingendam gravissima esse videantur. Quapropter non recte aliquis iudicet, verba

— *τὴν αὐτὸς ἐγείνατο μητίετα Ζεὺς σεμνῆς ἐκ κεφαλῆς* cet.

ex posterioris aetatis indole atque ingenio esse subiuncta. Ita quam supra ostendimus duplicem deae naturam, alteram a sensibus remotam virginis ex Iovis capite natae, divinae mentis plenae, artium et litterarum inventricis, physicam alteram sive naturalem deae in aethere habitantis, fertilitatem fundentis, eandem verbis hymni perspicue videmus expressam. Et naturalis quidem deae vis adiectivo *τριτογένεια* indicatur, perinde atque *Ζεὺς νεφεληγερέτης* vim naturae generantem significat.

Itaque filia signum cum patre ubique commune habet aegidem, quo non minus natura deae aetherea quam virtus bellica indicatur; esse quandam eidem cum Neptuno

---

[1]) Il. I., 38.; coll. XVI., 514., 515.; IV., 8. et 52.; V., 908.; XIII., 21. sqq.; Od. VIII., 363.
[2]) Od. IV., 379.; Il. XVI., 515.
[3]) Cfr. Nitzsch. ad Hom. Od. I., 20. sqq., pag. 175. — Naegelsbach. Homer. Theol. p. 18. sqq.
[4]) Stesichor. Fragm. 76. ed. Klein.

cognationem inde apparet, quod Minerva non modo *νάουσα* (affluens), verum etiam *ἱππία* vocatur et in sacro Sunii promontorio colitur[1]). Haud dissimilis ea ratio est, qua scholiastes ad Il. VIII., 39. rem explicat: *Μῆτιν τὴν Ὠκεανοῦ, ὥς φασιν, εἰς πολλὰ τὴν μορφὴν ἀμείβουσαν βουλόμενος ὁ Ζεὺς παρ' ἑαυτῷ ἔχειν, κατέπιεν ἔγκυον οὖσαν ὑπὸ Βρόντου τοῦ Κύκλωπος· τελεσφορηθείσης δὲ τῆς παιδός, ὁ Ζεὺς διὰ τῆς κεφαλῆς τεκὼν δίδωσι Τρίτωνι τῷ ποταμῷ τρέφειν.* Narrat hoc loco scholiastes Metin, Oceani filiam, a Bronto Cyclope gravidam factam, quum in varias formas mutaretur, ab Iove, qui eam sibi propriam vindicare vellet, esse absorptam. Maturam deinde filiam ex Iovis capite in lucem editam Tritoni fluvio educandam esse traditam. Itaque etiam hac in fabula duplicem deae naturam mirum in modum videmus coniunctam. Neque vero extremis scholii verbis assentiri licet: *ὅθεν Τριτογένεια ἐκλήθη ὡς ἐκ τριῶν συναυξηθεῖσα, Βρόντου, Διός, Τρίτωνος.* Primum enim, si subtilius in rem inquirimus, non e triplici sed e duplici mentis celeris ac fervidae et materiae aquosae natura Minerva nata est; deinde vox *τρίτος*, cuius praeultima correpta, non producta est, in voce *Τριτογένεια* inesse nequit. Eodem pertinet, quod additum legimus: *ἢ ὅτι τρίτῃ φθίνοντος ἐτέχθη.*

Fabula ipsa hoc videtur spectare, ut variae opiniones de ortu deae a Tritonide vel ab ipso Neptuno et ex Iovis capite inter se concilientur. Hoc etiam ea re probatur, quod Brontos, ex quo gravida facta Metis est, patrem habet Cyclopem illum, Neptuni filium, quem in Odyssea Ulixes convenit. Ad duplicem deae ortum etiam Herodotus (IV., 180.) respicit, quum narrat, apud Ausenses, gentem Lybicam, ludos et certamina a virginibus in honorem *αὐθιγενοῦς Ἀθήνης* esse celebrata; illam enim Neptuni filiam *μεμφθεῖσάν τι τῷ πατρὶ δοῦναι ἑωυτὴν τῷ Διΐ· τὸν δὲ Δία ἑωυτοῦ μιν ποιήσασθαι θυγατέρα.* Idem Herodotus eodem libro capite 188 narrat, ceteras quidem gentes Lybicas Soli tantum ac lunae sacra facere consuevisse, ab iis vero, quae Tritonem accolerent, et Minervam et Tritonem et Neptunum esse cultos.

Iam quum Tritonem etiam Hesiodus[2]) in imo mari domum auream habitantem fingat, inde iure coniicias fabulam de Tritone Homeri aetate per universam Graeciam atque Lybiam fuisse sparsam, nec fieri posse, ut vox *Τριτογένεια* a *τρίτος* repetatur[3]). Quas Brzoska[4]) nominis interpretationes affert, eae aut ipsam deae naturam respiciunt, — *ὅτι φρόνησίς ἐστιν, ἀφ' ἧς συμβαίνει τρία ἀπογεννᾶσθαι, εὖ λογίζεσθαι,*

---

[1]) Cfr. Odyss. III., 278.; coll. Soph. Ai. 1220.; Aristoph. Eqq. 560.

[2]) Hesiod. Theog. 930. sqq.

> ἐκ δ' Ἀμφιτρίτης καὶ ἐρικτύπου Ἐννοσιγαίου
> Τρίτων εὐρυβίης γένετο μέγας· ὅστε θαλάσσης
> πυθμέν' ἔχων, παρὰ μητρὶ φίλῃ καὶ πατρὶ ἄνακτι
> ναίει χρύσεα δῶ, δεινὸς θεός.

[3]) Idem recte vidit Otfr. Mueller in Encyclopaedia ab Erschio et Grubero edita §. 40.; not. 5.

[4]) Cfr. Geogr. myth. p. I., 33.

λέγειν καλῶς, πράττειν ἃ δεῖ —, aut tempora ac dies, quibus Minervae sacra fieri consueverint. Celebrabantur illa tertio quoque die mensis ineuntis et exeuntis (*τρίτῃ ἱσταμένου καὶ φθίνοντος*) ita quidem, ut duodetricesimo Hecatombaeonis die quarto quoque anno Panathenaea magna, parva eodem die quotannis agerentur [1]), qui dies deae natalis esse credebatur [2]). Panathenaeis autem, quae sub finem anni Attici celebrari solebant, quum omnes incolae Atticae singulari studio deam terrae custodem ac praesidem prosequi et colere contenderent, tum vero extremo die festo, qui erat Hecatombaeonis duodetricesimus, vestis superba a mulieribus Atticis texta solemni pompa in arcem deferebatur, qua veste vetustum deae simulacrum ornaretur [3]). Huius moris antiquissimum vestigium etsi apud ipsum Homerum deprehenditur [4]), tamen inde non consequitur, ut epitheto *Τριτογένειά*, quo apud Homerum ipsa deae natura et ortus indicatur, ad illas caerimonias et pompam mulierum Atticarum respiciatur. Antiquum illum deae cultum et fabulas poetarum, qui ita inter se miscent, ut ex his coniecturam faciant, qualis ille fuerit, nae isti metuendum est, ne in gravissimos errores incidant [5]). Veteres illi, qui in verborum originibus indagandis haud felicissimi sunt, quum saepe casu potius et opinione quam ratione probabili ducti res insolentes ac mirificas excogitaverint, tum vero etiam voci *Τριτογένεια* notationem diei subesse suspicati sunt, quae interpretatio ab Homeri aetate alienissima est. Quod enim Herodotus (II., 53.) de Homero et Hesiodo dicit: *οὗτοί εἰσιν οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμὰς καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες,* id ille recte quidem et quodam suo iure dicit; neque vero propterea quidquid recentiore demum tempore singulis diis tributum est, id ad illos poetas revocare licet auctores. Itaque C. Fr. Hermannus [6]) recte quidem docet alios mensium dies aliis diis deabusque fuisse sacros, praeter calendas Apollini septimum, quartum Mercurio, Theseo octavum, sextum Dianae, nonum Rheae, Minervae tertium. Idem vero quum dicit Minervam ab illo die *Τριτογένειαν* nominatam esse, speciosam magis quam veram vocis originem attulit. Videtur ille Suidae auctoritate motus esse, apud quem III., p. 76. haec leguntur: *ἐπειδὴ τῶν ἑορτῶν ἔξω ἱεραί τινες ἡμέραι ἐνομίζοντο Ἀθήνῃσι θεοῖς τισίν· οἷον νουμηνία καὶ ἑβδόμη Ἀπόλλωνι, τετάρτη Ἑρμῇ, ὀγδόη Θησεῖ,* vel secutus est Harpocrat. p. 287. et Tzetzen ad Lycophr. p. 519., imprimis autem Muellerum in Cambr. Phil. Mus. II., p. 230. et Brzoskam de geogr. myth. p. 41. Verba Suidae *τῶν ἑορτῶν ἔξω* quominus ad *τρίτην φθίνοντος* [7]) diem festum Minervae referamus, vel maxime hoc obstat, quod illo die Pana-

---

1) Cfr. Otfr. Mueller l. l. T. X., p. 85., §. 19.

2) Cfr. schol. ad Iliad. VIII., 39. ὅτι τρίτῃ φθίνοντος ἐτέχθη.

3) K. F. Hermann „Lehrb. d. gottesdienstl. Alterth. d. Gr. u. R." §. 54.

4) Iliad. VI., 269. sqq. et 297. sqq.

5) K. F. Hermann „Lehrb. d. gottesdienstl. Alterth. d. Gr. u. R." §. 6., 5. et 6.

6) L. l. §. 44., 5.

7) Schol. Iliad. VIII., 39.

thenaea et magna et minora celebrabantur[1]), de quibus scholion ad Arist. Nub. 385. docet: *τὰ δὲ Παναθήναια ἑορτὴν παρ' Ἀθηναίοις εἶναι μεγίστην παρὰ πάντων ᾄδεται.* Neque vero ceterorum dierum ratio certa et constans est. Nam quartus dies ineuntis mensis modo Mercurio (Hom. hymn. Merc. 19.) modo Herculi (Zenob. VI., 7., Procl. ad Hesiod. op. et dies 763. et 768—770.) tribuitur, octavus Neptuno dicatus est (Plut. V. Thes. c. 35.). Denique in ipso die Minervae sacro designando scriptores adeo non sibi constant, ut Servius ad Virg. Georg. I., 217. diem quintum, Dionys. Halic. (art. rhet. III. p. 243.) quintum decimum afferat; quae opinionum discrepantia oriri non potuisset, si tertius dies vetustatis consensu illi deae sacer esse creditus esset. Restat ut interpretationem vocis *Τριτογένεια* in Etym. M. propositam commemoremus. Ibi s. v. 767., 44. sqq. haec leguntur: *ἢ ἐπειδὴ τριταία γέγονεν, οἱονεὶ ἡ φαινομένη τριταία· καὶ γὰρ τὴν αὐτὴν εἶναι τῇ σελήνῃ· καὶ τὴν τρίτην τοῦ μηνὸς τριτομηνίδα ἐκάλουν· δοκεῖ δὲ γεγεννᾶσθαι τότε ἡ Ἀθηνᾶ*[2]). His verbis si non Minervam eandem atque Lunam esse affirmatur, quam quidem cum Hecate congruere recte docet Hermannus[3]), at certe illud indicatur, a dea aetherea lucisque plena etiam lunae cum luce ac splendore eam dari fecunditatem, quae ex illa in fruges terrae, imprimis in oleam ac vitem, redundet. Ea Lunae et siderum cum Minerva coniunctio ut ab Homeri aetate prorsus abhorret, ita in superstitiosis posteriorum temporum commentis saepe reperitur. Nam et aegidem pectori deae in signis praefixam atque vestem stellis distinctam ad illam Minervae et siderum coniunctionem referebant, nec deerant, qui capite Medusae, quo apud Homerum terror ac fuga pugnantibus iniicitur, imaginem Lunae reddi censerent, quippe quae occulta quadam ac paene divina vi et intuentium animos praestringeret, et terrae incrementa augeret.

Duplex illa deae et naturalis et a sensibus remotae vis ut fere in omnibus deae nominibus, ita etiam in adiectivo *γλαυκῶπις* videtur inesse, quo Minervae cum aethere ac luce non minus, quam cum Neptuno et Iove cognatio indicatur. Neque enim solum ardentibus et lucidis oculis praedita cum Nitzschio et Luca cogitanda esse videtur[4]), sed eandam etiam coeli tempestatum certaminumque belli praesidem et adiutricem significari consentaneum est[5]) (Virg. XI. 483. Armipotens praeses belli Tritonia virgo.) Emicabat videlicet ex oculis deae lucidus quidam fulgor, ex quo eodem animi sapientia plena consilii relucebat. Itaque *γλαυκῶπις* non ita multum a *χαροπός* differre

---

[1]) Cfr. K. Fr. Hermann l. l. §. 54., 14., qui affert Proclum ad. Tim. p. 9. *Ἑκατομβαιῶνος τρίτῃ ἀπιόντος.*

[2]) Cfr. Eustath. ad Il. IV., p. 504., 27. Tzetz. ad Lycophr. v. 519.: *ὅτι ἡ αὐτή ἐστι τῇ σελήνῃ, ἡ δὲ σελήνη ἀπὸ συνόδου τριταία φαίνεται.*

[3]) I. l. l. §. 15. extr. coll. §. 42. med. et not. 9.

[4]) Cfr. Nitzsch. ad Odyss. I., 44. C. W. Lucas „de Min. cogn. *γλαυκῶπις*“ Bonn 1831.

[5]) Cfr. Preller Myth. gr. II., 284.: „die stürmische Wetter- und Kriegsgöttin, die Göttin der Wogen und der Rosse und des wildbewegten Kampfes in der Schlacht.“
Cfr. Schneider Orph. Arg. 459.

videtur, nisi forte hoc externam vultus serenitatem indicari, illo animi potissimum constantiam et prudentiam significari statuis[1]). Vocis originem si quaerimus, est ea a *γλαύσσω, γλαὺξ*[2]) repetenda, quae vox cum *λάω, λεύσσω, γλήνη, γλῆνος, λευκός, λύκος, λυκόφως* aliis cohaeret, in quibus fere omnibus lucis quaedam aut micantis aut cum tenebris mixtae notio inest. *Γλαυκὸς* quum haud raro de clara vel lunae vel maris vel aurorae luce usurpetur, tum vero saepius ad fulgidos leonum et noctuarum oculos in ipsis tenebris relucentes refertur; neque improbanda eorum videtur sententia, qui noctuam propter fulgentes oculos Minervae sacram fuisse existimant. Voce *γλαυκὴ* aequor lucens apud Hesiodum Theog. 440. designatur; ad ardentes oculos leonum praedae inhiantium voce *γλαυκιόων* Hom. Iliad. XX. 172. Hesiod. scut. 430. respicitur. Si veterem sermonem patrium comparamus, qui habet voces glau (acute) glauchen et glaeraeugig, *γλαυκῶπις* recte glauaeugig, *χαροπὸς* glaeraeugig i. e. klaraeugig interpreteris, quam vim etiam truces et caerulei oculi apud Tacitum referunt[3]). Neque minus hanc alacris ingenii virtutem celeremque prudentiae perspicaciam cum maiestate quadam oculorum coniunctam, cl. Goethe egregie expressit[4]). Ut enim lux origo ac fons vitae et fecunditatis est, ita pleni lucis etiam oculi Minervae sunt, quam ipsam non modo salutem hominibus, sed etiam terrae prosperitatem dare supra docuimus.

Sed haec haetenus. Sub finem huius libelli profiteri mihi liceat, quod praefari non placuit, esse rei, de qua exposuimus, eam naturam, ut multis, qui omnia ad utilitatem et vitae commoda revocare consueverunt, levis aut parum fructuosa videatur. In ea enim nunc tempora incidimus, quibus cuique arti tanto plus laudis ac dignitatis tribuatur, quo propius ad vitae quotidianae usus accedat, quidquid vero ad solum animi cultum refertur, leve vulgo et inutile habeatur. Neque desunt, qui humanitatis studia tam angustis finibus circumscribant, ut omnem doctrinae laudem in una linguarum cognitione consistere censeant, subtiliores vero, quas ethicas dixerim, de rebus sola mentis cogitatione assequendis quaestiones, quibus elegantiae ac venustatis laus comparatur, ab homine liberaliter educato alienas esse arbitrentur. Ab istorum sententia ita abhorreo, ut neminem vero humanitatis sensu imbutum esse credam, qui non omnes doctrinae partes assidua cura pervestigaverit. Antiquarum videlicet litterarum studium non solum ad veteres scriptores historiamque referendum esse sentio, sed etiam eo, ut veterum mores et vitae instituta eorumque de rebus divinis opiniones cognoscamus. Quorum omnium primordia quo magis sunt abscondita et obscura, eo maiore studio videntur esse eruenda et illustranda. Quod tametsi nonnullis inutile ac ludicrum videtur, doctam potius obscuritatem ac vanam eruditionem captari, quam

---

1) Cfr. Schneider Orph. Arg. 459.; Iac. A. P. 324.; coll. Theocrit. Id. XX., 25.:
Ὄμματά μοι γλαυκᾶς χαροπώτερα πολλὸν Ἀθάνας.

2) Cfr. Etym. M. 233., 31—33. et 37—28.

3) Cfr. Pausan. I., 14., 6. extr.

4) Cfr. Herrmann et Dorothea: — Ihr Auge blickte nicht Liebe,
Aber hellen Verstand und gebot verständig zu reden.

veras rerum causas indagari dictitantibus[1]), tamen prudentissimus quisque haud inutilem eorum esse operam intelliget, qui quantum veteres in rebus divinis cognoscendis perfecerint, explorare conentur. Ita enim non solum perspicietur, veritas a deo ipsa cum hominibus communicata quomodo hominum erroribus ac vitiis paulatim depravata sit, sed etiam, qui pristinae virtutis igniculi, quaeque sincerae cognitionis semina in vetustissimis populorum institutis eluceant[2]). Eius cognitionis origines ac fontes qui volet investigare, ei poetae imprimis adeundi sunt, quorum fabulis omnis priscorum hominum sapientia continetur.

Quum igitur Minervae, qualem Homerus finxit, naturam atque indolem exquirere mihi proponerem, primum hoc spectabam, ut nominis rationem diligenter explorarem, veramque, quae illi subesset, notionem investigarem, deinde, ut fabulas de illa dea ab Homero allatas examinarem atque internam deae naturam eiusque cultum illustrarem. Illud quidem quantum huius libelli angustiae sinebant, explicare conatus sum, non quo me partes omnes rei difficilis feliciter persecutum esse credam, quod singularis industriae et acerrimi studii est, at illud certe effecisse mihi videor, ut ineptis et incertis interpretationibus refutatis ad veram nominis notionem propius accesserim. Non enim prompta et parata in his rebus veritas est, sed tot tamque obscuris erroribus implicata, ut ipsorum saepe doctissimorum virorum acumen fefellerit. In eadem quaestione quaedam de ipsa deae natura eiusque cultu attulimus, quae alio tempore, si deus volet, copiosius illustrabimus.

---

[1]) Cfr. quae C. W. Krüger Gramm. gr. p. 354. med. subscripsit: „Wie viel verdienstlicher wäre es gewesen, Zeit und Kräfte auf eine solche Arbeit zu verwenden, als sie an mythologische und aesthetische Faseleien zu vergeuden, die, wie prunkvoll immer zur Schau gestellt, doch in Kurzem spurlos verweht werden.

[2]) Cfr. Goethe Bd. 3., p. 4.:

Im Innern ist ein Universum auch,
Daher der Völker löblicher Gebrauch,
Dass jeglicher das Beste, was er kennt,
Er Gott, ja seinen Gott benennt,
Ihm Himmel und Erden übergiebt,
Ihn fürchtet, und wo möglich liebt.

Corrigenda:

pag. 5. vers. 14. l. clara pro claro.
„ — „ 17. l. exstinguitur pro extinguitur.
„ 7. „ 19. l. significari pro singnificare.
„ 8. „ 7. l. ἀθανάτων pro ἀθανατάων.
„ 10. „ 14. l. ἰδιώτης pro ιδιώτης.
„ 13. „ 2. l. κραδαίνειν pro κραδαινειν.